

DOMINICA DE PASSIONE

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.

Ioann. VIII, 46-59.

In illo tempore: Dicebat Iesus turbis Iudaeorum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

48. Responderunt ergo Iudaei, et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et daemionium habes?

49. Respondit Iesus: Ego daemionium non habeo: sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me.

50. Ego autem non quaero gloriam meam: est qui quaerat, et iudicet.

51. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.

52. Dixerunt ergo Iudaei: Nunc cognovimus quia daemionium habes. Abraham mortuus est, et Prophetae: et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum.

53. Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et Prophetae mortui sunt. Quem te ipsum facis?

54. Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est.

55. et non cognovistis eum: ego autem novi eum. Et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermonem eius servo.

56. Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum: vidit et gavisus est.

57. Dixerunt ergo Iudaei ad eum. Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?

58. Dicit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum.

59. Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum: Iesus autem abscondit se, et exiit de templo.

Homilia S. Gregorii Papae.

HOMILIA XVIII IN EVANGELIO. Habitu ad populum in basilica sancti Petri apostoli, Dominica in Passione.

2360 **P**ENSATE, fratres charissimi, mansuetudinem Dei. Relaxare peccata venerat, et dicebat: Quis ex vobis arguet me de peccato? Non de dignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores iustificare. Sed terribile est valde quod subditur: Qui

oves Filii Dei, qui idem est ac Filius hominis; et etiam formaliter, quia Christus, qui homo, est Salvator quoque angelorum, sed non Redemptor, uti hominum; nam angelis meruit omnem gratiam et gloriam, hoc est, electionem, praedestinationem, vocationem, auxilia omnia exci-

ta ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Si enim ipse verba Dei audit qui ex Deo est, et audire verba eius non potest, quisquis ex illo non est: interroget se unusquisque si verba Dei in aure cordis percipit, et intelligit unde sit. Coelestem patriam desiderare Veritas iubet, carnis desideria conteri, mundi gloriam declinare, aliena non appetere, propria largiri. Penset ergo apud se unusquisque vestrum, si haec vox Dei in cordis eius aure convaluit, et quia iam ex Deo sit, agnoscit. Nam sunt nonnulli, qui praecepta Dei nec aure corporis percipere dignantur. Et sunt nonnulli, qui haec quidem corporis aure percipiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur. Et sunt nonnulli, qui libenter verba Dei suscipiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur, sed post lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. Hi profecto verba Dei non audiunt, qui haec exercere opere contemnunt. Vitam ergo vestram, fratres charissimi, ante mentis oculos revocate, et alta consideratione pertimescite hoc, quod ex ore Veritatis sonat: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Sed hoc quod de reprobis Veritas loquitur, ipsi hoc de semetipsis reprobi suis operibus ostendunt. Nam sequitur: Responderunt igitur Iudaei, et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et daemionium habes?

Accepta autem tanta contumelia, quid Dominus respondeat, audiamus: Ego daemionium non habeo, sed honorifico Patrem meum: et vos inhonorastis me. Quia enim Samaritanus interpretatur

tanta, adjuvantia, sufficientia et efficacia; ac denique omne meritum et augmentum gratiae et gloriae. Quare Christus fuit causa meritoria gratiae et gloriae angelorum, ac vicissim angeli habuere fidem vivam Christi incarnati, atque per ea ex iustificati sunt.

custos, et ipse veraciter custos est, de quo Psalmista ait: Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilant qui custodiunt eam (PSAL. CXXVI, 1); et cui per Isaiam dicitur: Custos quid de nocte? custos quid de nocte? (Is. XXI, 11) respondere noluit Dominus: Samaritanus non sum; sed: Ego daemionium non habeo. Duo quippe ei illata fuerunt: unum negavit, aliud tacendo consensit. Custos namque humani generis venerat: et si Samaritanum se non esse diceret, esse se custodem negaret. Sed tacuit quod recognovit, et patienter repulsi quod dictum fallaciter audivit, dicens: Ego daemionium non habeo. In quibus verbis quid aliud nisi superbia nostra confunditur? quae si exagitata vel leviter fuerit, atrociores iniurias reddit, quam acceperat: facit mala quae potest, minatur et quae facere non potest. Ecce iniuriam suscipiens Dominus non irascitur, non contumeliosa verba respondet. Qui si eisdem ista dicentibus respondere voluisset, daemionium vos habetis, verum profecto diceret: quia nisi impleti essent daemionio, tam perversa de Deo loqui non possent. Sed accepta iniuria, etiam quod verum erat, dicere Veritas noluit: ne non dixisse veritatem, sed provocatus contumeliam reddidisse videretur. Ex qua re quid nobis innuitur, nisi ut eo tempore quo a proximis ex falsitate contumelias accipimus, eorum etiam vera mala taceamus, ne ministerium iustae correptionis in arma vertamus furoris? Sed quia quisquis Dei zelo utitur, a pravis hominibus deonestatur, in semetipso nobis Dominus patientiae praebuit exemplum, qui ait: Sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. Sed quid nobis ad ista faciendum sit, adhuc exemplo nos admonet, cum subiungit: Ego autem non quaero gloriam meam: est qui quaerat,

et iudicet. Scimus certe quod scriptum est, quia Pater omne iudicium dedit Filio: et tamen ecce idem Filius iniurias accipiens, gloriam suam non quaerit. Illatas contumelias Patris iudicio reservat, ut nobis profecto insinuet, quantum nos esse patientes debemus, dum se adhuc ulcisci non vult et ipse qui iudicat. Cum vero malorum perversitas crescit, non solum praedicatio frangi non debet, sed etiam augeri. Quod suo Dominus exemplo nos admonet, qui postquam habere daemionium dictus est, praedicationis suae beneficia largius impendit, dicens: Amen, amen dico vobis, si quis, sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum. Sed sicut bonis necesse est ut meliores etiam per contumelias existant, ita semper reprobi de beneficio peiores fiunt. Nam accepta praedicatione iterum dicunt: Nunc cognovimus quia daemionium habes. Quia enim aeternae morti inhaeserant, et eandem mortem cui inhaeserant, non videbant: dum solam mortem carnis aspicerent, in Veritatis sermone caligabant, dicentes: Abraham mortuus est, et prophetae mortui sunt, et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum? Unde et ipsi Veritati eundem Abraham et prophetas quasi venerantes praeferunt. Sed aperta nobis ratione ostenditur, quia qui Deum nesciunt, Dei quoque famulos falso venerantur.

Et notandum, quod vidit eos Dominus aperta sibi impugnatione resistere, et tamen eis se iterata non desinit voce praedicare, dicens: Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum; vidit, et gavisus est. Tunc quippe diem Domini Abraham vidit, cum in figura summae Trinitatis tres angelos hospitio suscepit: quibus profecto susceptis, sic tribus quasi uni locutus est: quia etsi

in personis numerus Trinitatis est, in natura unitas divinitatis est. Sed carnales mentes audientium oculos a carne non sublevant, dum in eo solam carnis aetatem pensant, dicentes: *Quinquaginta annos nondum habes et Abraham vidisti?* Quos benigne Redemptor noster a carnis suae intuitu submovet, et de divinitatis contemplationem trahit, dicens: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum.* Ante enim, praeteriti temporis est: *sum*, praesentis. Et quia praeteritum et futurum tempus divinitas non habet, sed semper esse habet, non ait: Ante Abraham ego fui; sed: *Ante Abraham ego sum.* Unde et ad Moysen dicitur: *Ego sum, qui sum.* Et: *Dices filii Israel: Qui est, misit me ad vos* (Exod. III, 14). Ante ergo et post Abraham habuit, qui et accedere potuit per exhibitionem praesentiae, et recedere per cursum vitae. Veritas vero semper esse habet; quia ei quidquam nec priori tempore incipitur, nec subsequenti terminatur. Sed sustinere ista aeternitatis verba mentes infidelium non valentes, ad lapides currunt, et quem intelligere non poterant, obruere quaerebant.

2363 Quid autem contra furorem lapidantium Dominus fecerit ostenditur, cum protinus subinfertur: *Iesus autem abscondit se et exiit de templo.* Mirum valde est, fratres charissimi, cur persecutores suos Dominus se abscondendo declinaverit, qui si divinitatis suae potentiam exercere voluisset, tacito nutu mentis in suis eos ictibus ligaret, aut in poena subitae mortis obrueret. Sed quia pati venerat, exercere iudicium volebat. Certe sub ipso passionis tempore et quantum poterat ostendit, et tamen hoc ad quod venerat, pertulit. Nam cum persecutoribus suis se quaerentibus diceret: *Ego sum* (IOANN. XVIII, 6), sola hac

voce eorum superbiam perculit, et omnes in terram stravit. Qui ergo et hoc in loco potuit manus lapidantium non se abscondendo evadere, cur abscondit se, nisi quod homo inter homines factus Redemptor noster, alia nobis verbolocuitur, alia exemplo? Quid autem nobis hoc exemplo loquitur, nisi ut, etiam cum resistere possumus, iram superbientium humiliter declinemus? Unde et per Paulum dicitur: *Date locum irae* (ROM. XII, 19). Quanta humilitate iram proximi fugere debeat, perpendat homo, si furores irascentium abscondendo se, declinavit Deus. Nemo ergo se contra acceptas contumelias erigat, nemo conviciis convicium reddat. Imitatione etenim Dei gloriosius est iniuriam tacendo fugere, quam respondendo superare.

2364 Sed contra hoc superbia dicit in corde: Turpe est ut, accepta iniuria taceas. Quisquis conspiciat, quia contumeliam accipis, et taces, non putat quia patientiam exhibes, sed crimina agnoscis. Sed unde vox ista in corde nostro contra patientiam nascitur, nisi quia in imis cogitationem fiximus, et dum in terra gloriam quaerimus, placere ei, qui nos de coelo conspiciat, non curamus? Accepta ergo contumelia, meditemur in opere vocem Dei: *Ego non quaero gloriam meam: est qui quaerit et iudicet.* Hoc autem quod de Domino scriptum est: *Abscondit se*, intelligi et aliter potest. Multa quippe Iudaeis praedicaverat, sed praedicationis eius verba deridebant. Deteriores quoque ex praedicatione facti sunt, qui usque ad iacendos lapides pervenerunt. Et quid abscondendo se Dominus significat, nisi quod eis ipsa veritas absconditur, qui eius verba sequi contemunt? Eam quippe, quam non invenit humilem, veritas fugit mentem. Et quam multi sunt hodie, qui Iudaeorum duritiam detestantur, quia praedi-

cationem Domini audire noluerunt; et tamen quales illos arguunt fuisse ad fidem, tales ipsi sunt ad operationem. Praecepta Domini audiunt, miracula cognoscunt: sed converti a suis pravitatibus renuunt. Ecce vocat, et redire nolumus. Ecce sustinet, et eius patientiam dissimulamus. Dum ergo tempus est, fratres, pravitatem suam unusquisque deserat. Dei patientiam pertimescat: ne quem nunc tranquillum despiciat, iratum postmodum nequaquam evadere possit.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SERENSI, VOL. II, SERM. 59.)

2365 SECUNDUS fractus crucis dicitur altitudo: et de hoc Propheta subdit dicens: *Et altitudo eius nimia.* Et merito, quia altitudo deitatis, id est, altissimus altissimi Dei filius, et gloriosus virginalis uteri fructus, Dominus Iesus Christus in ea pependit, et pro nostra redemptione in illa mori dignatus est: propter quadruplicem enim causam ad litteram ac mystice crucem suam Dominus noster Iesus Christus voluit esse altam. Primo ut ab omnibus melius videatur; secundo ut affectuosius inquiratur; tertio ut ab omnibus timeatur; quarto ut indignis occultetur.

2366 Primo quidem ut ab omnibus melius videatur, ac per hoc nemo per ignorantiam excusaretur, quod intelligens Ecclesia pro consuetudine habet in Ecclesiis crucifixum ponere in sublimi, et crucem etiam ponit super sacra, et Ecclesiastica loca. Proinde Matth. v Dominus ait: *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Lucerna quidem ardens per charitatem, et lucens per veritatem, est Dominus Iesus Christus. Nam sicut lucerna habet testam, bombicem, et oleum, ex quibus lumen ardens refulget; sic ex Christi corpore, anima, et divinitate Christus in vita sua ad illuminandum, et inflammandum fulgebat; unde Ioann. VIII, de se ait dicens: *Ego sum lux mundi, id est, hominis; quia solus possum tenebras de anima effigare: et subdit, qui sequitur me, in cruce, scilicet, per fidem formatam, non ambulat in tenebris ignorantiae neque culpae, et per consequens non veniat ad tenebras gehennae, quae terribilissimum sunt praedictarum tenebrarum Ideo Matth.*

VIII vocat eas Dominus *tenebras exteriores*, id est, ultimas.

2367 Merito ergo voluit Christus crucem suam esse in alto loco, ut per eam totum universum illuminaret et inflammaret. Nam per crucem patefacta est veritas ardens contra tenebras ignorantiae: acquisita est gratia contra tenebras culpae: et promissa est gloria contra tenebras gehennae. Ideo Dominus subdit: *Sed habebit lumen vitae*, id est, quod est vitale, et ducit ad vitam; quia lumen crucis ducit per charitatem ad gloriam sempiternam. Ideo Propheta ad crucem ait, Psal. xxxv: *Apud te est fons vitae, scilicet, Dominus noster Iesus Christus, et in lumine tuo videbimus lumen.* Scribitur enim in lib. de mixtionibus elementorum, quod si interfecto videret illum quem intererit, statim vulnera interfecti manant sanguinem¹; sic ad devotionis oculis intueamur Christum, quem non solum per originalia peccata, sed per scelera multa occidimus, sentiemus ex eo recentem emanare sanguinem per eius passionis compassionem.

2368 Erige ergo oculos, anima mea, ad fontem ardentis lucis, ut tepiditas, et ignorantia tua in cruce Iesu caleat, et illustretur. Si quid etiam adversi patimur, si persecutiones, si detractiones, si infirmitates, et passiones, sequamur consilium Apost. ad Hebr. xii, dicentis: *Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Iesum; per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, qui proposito sibi gaudio suscepit crucem, confusione contentus.*

2369 Secunda ratio: ut affectuosius inquiratur et diligatur. Suavius gustatur bonum quod cum labore acquisitum est: et sic econtra veritatem in fastidium quod facile invenitur. Sicut enim ex reflexione radiorum solis in speculo concavo facilliter in parvo incenditur ignis; sic ex reflexione humanae intelligentiae in speculum crucis, considerando quantum dilexit nos Deus, accenditur ignis divini amoris in affectione; unde ad Rom. v hortatur Apost. dicens: *Commendat autem suam charitatem Deus in nobis; quoniam quum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Ad hoc siquidem considerandum, ut humana affectio ad amorem Domini inflammetur, etiam hortatur spiritus veritatis, et charitatis, Deut. xxvii: dicens de sanctissima cruce *erit vita tua*, id est, sanctissima crux quae est animae vita, *quasi pendens ante te.* Ex hac consideratione per conatum et fervorem ascendit affectus ad saporem, et gustum mysterii crucis, unde talis anima fervens per desiderium, ait illud Cant. vii: *Disi, ascendam in palmam; et appre-*

¹ Hoc dictum non ad approbationem sed ad comparationem adducit auctor.

hendam fructus eius. Ad hoc quidem, maxime hoc tempore, quilibet conari debet per carnalium voluptatum abscissionem; unde August. in serm. 40 ait: Congruit nostrae devotioni, ut qui Domini crucifixi passionem celebrari sumus, reprimendum passionum carnalium ac voluptatum crucem nobis ipsi faciamus.

2370 Tertia vero ratio: ut ab omnibus timeatur. Altius siquidem in cruce pendere voluit Christus, tanquam excelsus Dominus in throno iudiciario sedens, et timorem inducens rationali naturae; unde Psal. cxii, inquit: *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat*: unde Eccl. v dicitur: *Excelsus, scilicet, diabolo, excelsior est, scilicet, aliis diabolus: Et super hos quoque eminentiores sunt alii, scilicet, Angeli boni*. Insuper universae terrae Rex, id est, Dominus Iesus, sedens in throno crucis imperat servienti: unde Apoc. xv, stupentes Angeli de mysterio crucis, aiunt: *Magna, et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens; iustae et verae sunt viae tuae, Domine, rex sanctorum vel saeculorum. Quis non timebit te, Domine?*

2371 Opera quidem Dei primo sunt magna per potentiam, Psal. cxxxiv, attestante: *Omnia quaecumque voluit Deus fecit in caelo, et in terra, in mari, et in omnibus abyssis*. Secundo sunt mirabilia per sapientiam quae cuncta sicut vult disponit: quia dicitur Sap. viii: *Disponit omnia suaviter*. Tertio sunt iusta per aequitatem, quia omnem inaequalitatem ab eis excludit. Quarto sunt vera per misericordiam qua in se sperantibus semper assistit. De his vero duobus ait Propheta: *Rectus est Dominus Deus noster, et hoc quoad quartum, et non est iniquitas in eo, et hoc quoad tertium*; haec siquidem patent maxime in mysterio crucis. Primo enim quid potentius, quam mortale, et immortale idem facere, atque duo maxime distantia in unius personae simplicitatem sine compositione copulare? Secundo quid sapientius, quam viam humanae redemptionis, et passionis invenire? quae impossibilis erat ex parte creaturae quae non sufficebat patiendo ad redimendum, et impossibilis erat ex parte Creatoris qui inhabilis erat ad patiendum, et ad moriendum. Tertio, quae iustitia rigidior, quam ne iniustitia multa esset. Iustum Dei Filium suspendio crucis tradere? Quarto etiam, quae misericordia lenior, quam ut servis parceret, proprium Filium affligeret. Ideo merito timendus est; unde subditur: *Quis non timebit te, Domine, scilicet, stantem in altissimo throno crucis tanquam iudicem vivorum, et mortuorum*? unde Ioann. iii dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium, non servum suum, sed unigenitum, non de multis unum, daret, non commutaret; daret utique non ad vitam, sed ad mortem per supplicium crucis*.

Quarta vero ratio: ut indignis occultetur. Impossibile est enim pervenire ad acquisitionem cuiuscumque luminis, vel virtutis, aut divini gustus seu sensus, et gratiae singularis, immo ad eius qualecumque initium, nisi praecedat magna, et fidelis aestimatio, et admiratio altitudinis eius. Res enim parvipensa non multum curatur, nec unquam contemptoribus largitur Deus bona spiritualia, atque nobilia; contemnens enim summa abiicit ea, et se elongat ab eis. At contra habere reverentem admirationem, et aestimationem divinalium rerum atque mysteriorum, et sacramentorum Dei, maximum praestat aditum ad intelligentiam, cognitionem, atque sensus eorum. Inter haec autem maximum est mysterium crucis, contemptoribus et elatis infidelibus, et indignis iusto Dei iudicio occultatum. Ideo I Cor. i: *Verbum autem crucis pereuntibus stultitia est; his autem qui salvi sunt, id est, nobis virtus Dei est*; et subdit: *Iudaei signum petunt, et Graeci sapientiam quaerunt; nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudaeis atque Graecis Dei virtutem, et Dei sapientiam; quia quod stultum est Dei, sic ut mysterium crucis, sapientius est hominibus*. Proinde Ioann. ix Dominus ait: *In iudicium ego in mundum hunc veni, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant*.

2373 Tertius vero fructus crucis est magnitudo. Unde ait Propheta: *Et magna arbor*. Propter quatuor enim crux dicitur arbor magna. Primo propter magnitudinem opprobrii; secundo propter magnitudinem oppositi; tertio propter magnitudinem mysterii; quarto propter magnitudinem signi.

2374 Prima ratio propter magnitudinem opprobrii quo nullum vilis et ignobilis. Sicut enim August. superius ait: Nihil erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilis, et formidabilis patibulo crucis; proinde Sap. ii ex animo dixerunt Iudaei impii contra Christum: *Morte tua iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster; ipse veniet, et salvabit nos*. Merito igitur Hieron. ait in quadam epistola: Dei Filius sustinuit ignominiam crucis, et ut te beatos putas qui felicitate huius saeculi, et deliciis perfumuntur; non tamen confundebatur Christus in corde suo propter tale opprobrium, et confusionem; unde in persona Domini ad Patrem loquitur Propheta dicens, Psal. cxxxix: *Obumbrasti super caput meum in die belli*; quod exponens Cassiodorus ait: Christus in die crucifixionis suae sic obumbratus atque defensus est, ut nec animus eius confusionem aliquam pateretur, nec caro eius corruptionis iniuriam sustineret. Bene igitur definita est Passio Domini dies belli, quando, scilicet, diabolo victo, infernorum claustris disruptis, captivi liberati sunt.

2375 Secunda ratio propter magnitudinem oppositi, quo nihil gloriosius. Sicut enim crux Christi ante passionem hominibus erat opprobriosa, sic post passionem eius facta est fidelibus gloriosa; unde August. ait: Magna crucis dignitas quae a patibulo latronum transit ad frontes Imperatorum. Unde Chrysost. ait: Ubi crux honoratur, reges diademata deponentes assumunt crucem in purpuris, in diadematis, in armis, in mensa sacrata, ubique terrarum emicet. Ideo ad Gal. vi ait Apost.: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*. Quod exponens August. ait: Crucem, ut in ea gloriamur, Dominus suo gestans humero pro virga regni nobis commendavit, quod est grande ludibrium impiis, et grande mysterium est piis mundi; ubi mundus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit.

2376 Tertia ratio propter magnitudinem mysterii quo nullum profundius. Nam et ipsa figura crucis quae sola inter figuras rectilneas potest intra se totam circum superficiem claudere, aperte monstrat quod admirandum mysterium crucis in se claudit, et concludit totum ambitum gratiae, et totum orbem glorificationis naturae; hinc Luc. xviii scriptum est, quod: *Assumpsit Iesus duodecim Apostolos suos, et ait illis: Ecce ascendimus Ierosolimam, et consummabuntur omnia quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis; tradetur enim gentibus et illudetur, flagellabitur, et conspuetur, et postquam flagellaverint occident eum*.

2377 In his siquidem verbis patet magnitudo passionis mysterii, et etiam crucis Christi; quia ipsa est consummatio totius revelationis propheticae. Omnes enim Prophetae principalem habuerunt respectum ad praesentiam Christi secundum triplicem eius dignitatem, scilicet, regni, magisterii et sacerdotii. Et secundum eius triplicem perfectionem, scilicet, virtutis, veritatis, et bonitatis, secundum quod Is. xxxiii dicitur: *Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster; ipse veniet, et salvabit nos*.

2378 Primo, secundum quod est rex, regit nos per praeccepta, et iudicia; secundo, secundum quod est magister, erudit nos per mysteria, et exempla; tertio, secundum quod est sacerdos, sanctificat nos per sacrificia, et sacramenta. Quoniam igitur haec seae perfecte sunt consummata in cruce, ideo ait Dominus, ut supra, *Consummabuntur, etc.* Nam per Christi Passionem primo consummata sunt praeccepta, propter nimiam charitatem, quae suis praecceptis est (I Tim. i). Et iterum Psal. cxviii, ait: *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis, scilicet, o sancte Pater, quod fecisti Filio tuo, scilicet, quod moreretur in cruce*.

2379 Secundo consummata sunt iudicia propter nimiam severitatem quam habuit ad seipsum. Is. x: *Consummatio abbreviata inundabit iustitiam. Consummationem et abbreviationem faciet Dominus Deus exercituum in medio omnis terrae*.

2380 Tertio consummata sunt mysteria, Apoc. xi: *In diebus vocis septimi Angeli consummabitur mysterium Dei, sicuti evangelizavit per seruos suos Prophetas*.

2381 Quarto consummata sunt exempla; unde ad Hebr. ii: *Diebat enim, propter quem omnia, qui multos filios adduxerat in gloriam, auctorem salutis eorum per passionem consummavit*.

2382 Quinto consummata sunt sacrificia; ad Hebr. x: *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*.

2383 Sexto consummata sunt sacramenta; ad Hebr. viii: *Consummabo super domum David, et super domum Iuda, testamentum novum, et hoc testamentum consummatum est in Sanguine Crucis Christi. Proinde pendens Christus in Cruce, Ioann. xix, ait: Consummationem est, quod pertinet ad mysterium crucis*.

2384 Quarto propter magnitudinem signi quo nihil melius, et pulchrius. Hoc siquidem signo sanctissimae crucis signatur in mentis fronte omnes electi, et in coelis glorificandi. In cuius mysterium in baptisate a sacerdote dispensante meritum Christi Passi, et sanguine eius in fronte crucis signaculo consignamur; nec tale signaculum anima movetur, nisi per mortalem culpam, sed per veram poenitentiam restauratur. Proinde dicitur Apoc. vii: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi; et clamavit quatuor Angelis quibus datum est nocere terrae et mari dicens: Nolite nocere terrae et mari, neque arboribus, quoadvis signemus seruos Dei in frontibus eorum*.

2385 Ut igitur intelligas magnitudinem huius signi, considera hic tria a Ioanne mystice demonstrata. Primo signantem; secundo signum; tertio vero signatos. Primo considera signantem qui est Christus; unde subdit: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis*. Merito enim Christus Angelus vocatur, quum Dei Patris fuerit nuntius in hunc mundum ad salutem hominum missus; unde Ioann. viii, ipse ait: *Ego ex Deo processi, et veni; neque enim a meipso veni; sed ille me misit*. Qui quidem ab ortu solis ascendit, quando per divinam sapientiam in mysterio crucis absconditiam cognovit est Dei Filius Patri consubstantialis in natura, et in omnipotentia coaequalis.

2386 Secundo subditur signum. Unde subiungit: *Habentem signum Dei vivi*. Quid per hoc signum,

nisi sanctissima crux per quam ipse apud Deum Patrem pro nobis mereri dignatus est? Ex quo patet quod per sui participationem signat Iesus omnes electos, a reprobis per crucis signaculum eos distinguens; et de talibus ab eo cognitis, et signatis, loquitur Dominus Ioann. x. dicens: *Ego sum Pastor bonus, et cognosco oves meas*, scilicet, per approbationem, et cognoscunt me meae; unde Apostolus ait II Timoth. 1: *Novit Dominus qui sunt eius*. Insuper, quia per peccatum mortale hoc signum deletur, et in vera confessione restauratur, sicut dictum est, propterea confessor poenitentem absolvens signat, atque signare debet signaculo sanctae crucis in mysterium; et in persona Christi amotum signum reformat, dum iterum illi participat meritum crucis eius. In cuius figura Ezechiel. ix. praecipitur officio sacerdotali: *Signa thau super frontes virorum gementium super cunctis administrationibus, quae sunt, id est, factae sunt, ab eis*.

2387 Tertio considera signatos, vel signandos. Unde subdit: *Et clamavit quatuor Angelis*, id est, omnibus daemonibus imperavit, quibus datum est nocere terrae, et mari, id est, in prosperitate et adversitate, dicens: *Nolite nocere terrae et mari*, id est, non habeatis potestatem illos facere nocere in mortale per prospera, et adversa: *ne arboribus*, id est, viris perfectis, et contemplativis: *quoad usque signemus servos Dei in frontibus eorum*, scilicet, communicando eis meritum crucis meae. Hoc est illud signum de quo II Cor. 1, Apostolus ait: *Signavit nos Deus, et dedit figus spiritus in cordibus nostris*, quod est conscientia bona; unde Propheta ait, Psal. iv: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Unde Cassiodorus exponens praedictum Prophetiae verbum ait: Crux est humilium invicta tutio, superbiorum delectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, coelestium confirmatio, mors infidelium, vita iustorum. Vultus ergo Dei est ipsa crux Christi, cuius signaculum imprimatur nobis in baptisate, et reformatur in Sacerdotii absolute; tamen quotidie imprimere debemus in corde; unde legens Evangelium Christi, crucem facit super librum, in fronte, ore, et pectore, quasi dicat, hic est liber crucifixi, crucifixum non erubesco, crucifixum praedico, crucifixum firmiter credo; sed et audientes signantes se ipsos ipsam legentem Evangelium praedicto modo in triplici cruce imitari debent. Et quia ex tali devota significatione homo spiritualiter delectatur; ideo Psal. subdit, dicens: *Deidisti lachrimam in corde meo*, scilicet, non extra in vanis; quia *omnis gloria eius ab intus*. Ad hoc quidem August. in sermone ait: Crux Christi nobis causa beatitudinis est; haec

nos liberavit a caecitate erroris; haec a tenebris reddidit luci; haec alienos Deo coniunxit, longe constitutos proximis praesentavit; haec peregrinantes civis praesentavit ac ostendit; haec discordiae amputatio est; haec pacis firmiteramentum; haec donorum omnium abundans largitio.

FERIA SECUNDA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.
Ioann. VII, 32-39.

In illo tempore: Miserunt principes et pharisaei ministros, ut apprehenderent Iesum.
32. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum: et vado ad eum, qui me misit.
34. Quaeritis me, et non invenietis; et ubi ego sum, vos non potestis venire.
35. Dixerunt ergo Iudaei ad semetipsos: Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes?
36. Quis est hic sermo, quem dixit: Quaeritis me, et non invenietis; et ubi sum ego, vos non potestis venire?
37. In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Iesus, et clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.
38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae.
39. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

Homilia S. Augustini Episcopi.
IN EVANG. IOANN. TRACT. 31, 32.

2388 **P**RINCIPES vero illi audita multitudinis fide, et eo murmure, quo Christus glorificabatur, miserunt ministros, ut apprehenderent eum (IOANN. VII, 32). Quem apprehenderent? Adhuc nolentem? Quia ergo non poterant apprehendere nolentem, missi sunt ut audirent docentem. Quid docentem? *Dicit ergo Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum*. Quod modo vultis facere, facturi estis, sed non modo: quia modo nolo. Quare adhuc modo nolo? quia *adhuc modicum tempus vobiscum sum: et tunc vado ad eum qui me misit*. Implere debeo dispensationem meam, et sic pervenire ad passionem meam.

2389 *Quaeritis me, et non invenietis; et ubi sum ego, vos non potestis venire* (Ibid. 34). Hic iam resurrectionem suam praec-

dixit: noluerunt enim agnoscere praesentem, et postea quaesierunt, cum viderunt in eum multitudinem iam credentem. Magna enim signa facta sunt, etiam cum Dominus resurrexit, et ascendit in caelum. Tunc per discipulos facta sunt magna; sed ille per illos, qui et per se ipsum: ipse quippe illis dixerat: *Sine me nihil potestis facere* (Ibid. xv, 5). Quando claudus ille, qui sedebat ad portam ad vocem Petri surrexit et suis pedibus ambulavit, ita ut homines mirarentur, sic eos allocutus est Petrus, quia non in sua potestate ista fecit, sed in virtute illius, quem ipsi occiderunt (ACT. III, 12). Multi compuncti dixerunt: *Quid faciemus?* (Ibid. II, 37). Viderunt enim se ingenti crimine impietatis adstrictos, quando illum occiderunt, quem venerari et adorare debuerunt: et hoc putabant esse inexpiable. Magnum enim facinus erat, cuius consideratio illos faceret desperare: sed non debebant desperare, pro quibus in cruce pendens Dominus est dignatus orare. Dixerat enim: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (LUC. XXIII, 34). Videbat quosdam suos inter multos alienos; illis iam petebat veniam, a quibus adhuc accipiebat iniuriam. Non enim attendebat quod ab ipsis moriebatur, sed quia pro ipsis moriebatur. Multum est quod illis concessum est, et ab ipsis, et pro ipsis; ut nemo de sui peccati dimissione desperet, quando illi veniam meruerunt, qui Christum occiderunt. Mortuus est Christus pro nobis, sed numquid a nobis? At vero illi viderunt Christum suo scelere morientem: et crediderunt in Christum suis scelerebus ignoscentem. Quousque biberent sanguinem quem fuderant, de sua salute desperaverunt. Ergo hoc dixit: *Quaeritis me, et non invenietis; et ubi sum ego, vos non potestis venire*: quia quaesituri illum erant post

resurrectionem compuncti. Nec dixit, ubi ero: sed *Ubi sum*. Semper enim ibi erat Christus quo fuerat reditus: sic enim venit, ut non recederet. Unde alio loco ait: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis qui est in caelo* (IOANN. III, 13): non dixit, qui fuit in caelo. In terra loquebatur, et in caelo se esse dicebat. Sic venit, ut inde non abscederet: sic rediit, ut nos non dereliqueret. Quid miramini? Deus hoc facit. Homo enim secundum corpus in loco est, et de loco migrat, et cum ad alium locum venerit, in eo loco unde venit non erit: Deus autem implet omnia, et ubique totus est, non secundum spatia tenetur locis. Erat tamen Dominus Christus secundum visibilem carnem in terra, secundum invisibilem maiestatem in caelo et in terra: ideo ait: *Ubi ego sum, vos non potestis venire*. Nec dixit, non poteritis, sed *non potestis*: tales enim tunc erant qui non possent. Nam ut sciatis non hoc ad desperationem dictum, et discipulis suis dixit tale aliquid: *Quo ego vado, vos non potestis venire* (IOANN. XIII, 33): cum pro illis orans dixerit: *Pater, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum* (Ibid. XVII, 24). Denique hoc Petro exposuit, et ait illi: *Quo ego vado, non potes me sequi modo, sequeris autem postea* (Ibid. XIII, 36).

2390 *Dixerunt ergo Iudaei, non ad ipsum, sed ad se ipsos: Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes?* (Ibid. VII, 35). Non enim sciebat quod dixerunt; sed quia ille voluit, prophetaverunt. Iturus enim erat Dominus ad gentes, non praesentia corporis sui, sed tamen pedibus suis. Qui erant pedes eius? Quos pedes conculare volebat persequendo Saulus, quando ei caput clamavit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* (ACT. IX, 4). *Quis est hic sermo,*

quem dixit: *Quaeritis me et non invenietis; et ubi ego sum, vos non potestis venire?* (IOANN. VII, 36). Unde hoc dixit Dominus, nescierunt, et tamen aliquid quod futurum erat, nescientes praenuntiaverunt. Dixit enim hoc Dominus, quia locum, si tamen dicendus est locus, id est, sinum Patris, unde numquam discedit unigenitus Filius, non illi noverant; nec cogitare idonei erant ubi erat Christus, unde non recessit Christus; quo reditus erat Christus, ubi manebat Christus. Unde hoc cordi humano cogitare, nedum lingua explicare? Hoc ergo illi nullo modo intellexerunt; et tamen ex hac occasione salutem nostram praedixerunt, quod Dominus iturus esset ad dispersionem gentium, et impleturus quod legebant et non intelligebant: *Populus quem non cognovi, servivit mihi, in obauditu auris obaudiit mihi* (PSAL. XVII, 45). Illi non audierunt in quorum oculis fuit, illi audierunt in quorum auribus sonuit.

2391 Illius enim Ecclesiae venturae de gentibus typum gerebat mulier, quae fluxum sanguinis patiebatur; tangebatur et non videbatur, nesciebatur et sanabatur. Figura quippe erat, quod Dominus interrogavit: *Quis me tetigit?* (LUC. VIII, 45). Quasi ignorans ignoratam sanavit: sic fecit et gentibus. Non eum didicimus in carne, et meruimus carnem eius manducare, et in carne eius membra esse. Quare? quia misit ad nos. Quos? praecones suos, discipulos suos, servos suos, redemptos suos, quos creavit, sed quos et redemit fratres suos: totum parum dixi: membra sua, se ipsum; misit enim ad nos membra sua, et fecit nos membra sua. Tamen secundum speciem corporis, quam Iudaei viderunt et contempserunt, non apud nos fuit Christus: quia et hoc de illo dictum erat, sicut et Apostolus dicit: *Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad*

confirmandas promissiones patrum (ROM. XV, 8). Ad illos debuit venire, a quorum patribus et quorum patribus est promissus: ideo et ipse sic ait: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel* (MATTH. XV, 24). Sed quid dicit Apostolus in sequenti? *Gentes autem super misericordia glorificare Deum* (ROM. XV, 9). Quid et ipse Dominus? *Habeo alias oves, quae non sunt ex hoc ovili* (IOANN. X, 16). Qui dixerat: *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel*; quomodo habet alias oves, ad quas non est missus, nisi quia significavit praesentiam corporalem non se missum exhibere nisi solis Iudaeis, qui viderunt et occiderunt? Et multi tamen inde et antea et postea crediderunt. Messis prima de cruce ventilata est, ut esset semen, unde alia messis consurgeret. Nunc vero cum fama Evangelii et bono eius odore excitati credunt fideles eius per omnes gentes, erit expectatio gentium, quando veniat qui iam venit (GEN. XLIX, 10); quando ab omnibus videatur, qui tunc a quibusdam visus non est, a quibusdam visus est; quando veniat iudicaturus qui venit iudicandus; quando veniat discretus, qui venit ut non discernetur. Non enim ab impiis Christus est discretus, sed cum impiis iudicatus: de illo enim dictum est: *Inter iniquos reputatus est* (IS. LI, 12). Latro evasit; Christus damnatus est. Accepit indulgentiam criminosis, damnatus est qui omnium crimina confitentium relaxavit. Tamen et ipsa crux, si attendas, tribunal fuit; in medio enim iudice constituto, unus latro qui credidit liberatus, alter qui insultavit damnatus est. Iam significabat quod facturus est de vivis et mortuis, quam Iudaei viderunt et contempserunt, non apud nos fuit Christus: quia et hoc de illo dictum erat, sicut et Apostolus dicit: *Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad*

2392 Inter dissensiones et dubitationes Iudaeorum de Domino Iesu Christo, inter cetera quae dixit, quibus alii confunderentur, alii docerentur, *novissimo* illius *festivitatis die* (tunc enim ista agebantur), quae appellatur Scenoepogia, id est tabernaculorum constructio, de qua festivitate iam antea meminit Charitas vestra fuisse disertum, vocat Dominus Iesus Christus, et hoc non utrumque loquendo, sed clamando, ut qui sitit, veniat ad eum. Si sitimus, veniamus; et non pedibus, sed affectibus; nec migrando, sed amando veniamus. Quamquam secundum interiorem hominem, et qui amat migrat. Et aliud est migrare corpore, aliud corde: migrat corpore, qui motu corporis mutat locum; migrat corde, qui motu cordis mutat affectum. Si aliud amas, aliud amabas; non ibi es, ubi eras.

2393 Clamat ergo nobis Dominus: *Stabat enim et clamabat: Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae* (IOANN. VII, 38). Quid hoc esset, quando Evangelista exposuit, immorari non debemus. Unde enim dixerit Dominus: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat, et, Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquae vivae*, consequenter exposuit Evangelista, dicens: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*. Est ergo sitis interior et venter interior, quia est homo interior. Et ille quidem interior invisibilis, exterior autem visibilis: sed melior interior quam exterior. Et quod non videtur, hoc plus amatur: constat enim plus amari hominem interiorem quam exteriorem. Unde hoc constat? Unusquisque in seipso probet. Quamvis enim qui male vivunt, animos suos corpori addicant: vivere

tamen volunt, quod non est nisi animi, magisque se ipsos indicant qui regunt, quam illa quae reguntur. Regunt enim animi, reguntur corpora. Gaudet quisque voluptate et capit de corpore voluptatem: sed separa animum, nihil restat in corpore quod gaudeat; et si de corpore gaudet, animus gaudet. Si gaudet de domo sua, de se non debet gaudere? et si habet animum unde oblectetur extrinsecus, sine deliciis manet intrinsecus? Omnino constat plus amare hominem animam suam quam corpus suum. Sed et in alio homine plus amat homo animam quam corpus. Quid enim amatur in amico, ubi est amor sincerior et castior? Quid amatur in amico, animus an corpus? Si fides amatur, animus amatur: si benevolentia amatur, benevolentiae sedes animus est: si hoc amas in altero quia et ipse amat te, animum amas; quia non caro, sed animus amat. Ideo enim amas, quia te amat: quare unde te amet, et vide quid ames. Plus ergo amatur, et non videtur.

2394 Aliquid etiam volo dicere, ubi magis appareat Dilectioni vestrae, quantum ametur animus et quemadmodum corpori praeponatur. Illi ipsi lascivi amatores, qui pulchritudine corporum delectantur et forma membrorum accenduntur, tunc amant amplius quando amantur. Nam si amet et sentiat, quia odio habebitur, magis irascitur quam diligit. Quare magis irascitur quam diligit? quia non ei redditur quod impendit. Si ergo ipsi corporum amatores redamari se volunt, et hoc eos magis delectat si amentur, quales sunt amatores animorum? Et si magni sunt amatores animorum, quales sunt amatores Dei, qui pulchros animos facit? Sicut enim animus facit deus in corpore, sic Deus in animo. Non enim facit corpori unde ametur nisi animus: qui cum migraverit cadaver hor-

rescis; et quantumcumque pulchra illa membra dilexeris, sepelire festinas. Deus ergo corporis, animus: decus animi, Deus.

3395 Clamat ergo Dominus, ut veniamus et bibamus, si intus sitiatus; et dicit, quia cum biberimus, flumina aquae vitae fluent de ventre nostro. Venter interioris hominis conscientia cordis est. Bibito ergo isto liquore vivescit purgata conscientia; et hauriens fontem habebit; etiam ipsa fons erit. Quid est fons, et quid est fluvius, qui manat de ventre interioris hominis? Benevolentia, qua vult consulere proximo. Si enim putet quia quod bibit soli ipsi debet sufficere; non fluit aqua viva de ventre eius: si autem proximo festinat consulere; ideo non siccatur, quia manat. Videbimus nunc quid sit quod bibunt, qui credunt in Domino: quia utique christiani sumus, et si credimus, bibimus. Et unusquisque in se ipso debet agnoscere si bibit, et si vivit ex eo quod bibit: non enim nos deserit fons, si non deseramus fontem.

2396 Exposuit Evangelista, ut dixi, unde Dominus clamasset, ad quem potum invitasset, quid bibentibus propinasset, dicens: *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Quem dicit Spiritum, nisi sanctum Spiritum? Nam unusquisque homo habet in se proprium spiritum, de quo loquebar cum animum commendarem. Animus enim cuiusque proprius est spiritus eius: de quo dicit Paulus apostolus: *Quis enim scit hominum quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* (I COR. II, 11). Deinde adiunxit: *Sic et quae Dei sunt, nemo scit nisi Spiritus Dei.* Nostra nemo scit nisi spiritus noster. Non enim novi quid cogitas, aut tu quid cogito: ipsa enim sunt propria nostra, quae interius

cogitamus, et cogitationum uniuscuiusque hominis ipsius spiritus testis est. Sic et quae Dei sunt, nemo scit nisi Spiritus Dei. Nos cum spiritu nostro, Deus cum suo: ita tamen ut Deus cum suo Spiritu sciat etiam quid agatur in nobis; nos autem sine eius Spiritu scire non possumus quid agatur in Deo. Deus autem scit in nobis, et quod ipsi nescimus in nobis. Nam infirmitatem suam Petrus nesciebat, quando a Domino quod ter esset negaturus audiebat, et aeger se ignorabat, medicus aegrum sciebat. Sunt ergo quaedam, quae Deus novit in nobis, nescientibus nobis. Tamen quantum ad homines pertinet, nemo sic se novit quomodo ipse homo: alius nescit quid in illo agatur, sed spiritus eius novit. Accepto autem Spiritu Dei, discimus et quid agatur in Deo: non totum, quia non accepimus totum. De pignore multa novimus: pignus enim accepimus, et huius pignoris plenitudo postea dabitur. Interim in hac peregrinatione pignus nos consoletur, quia qui nos dignatus est oppignerare, multum paratus est dare. Si talis est arrha, quid est cuius est arrha?

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSIS, VOL. II, SERM. 50.)

SECUNDO ponamus tres alios fructus crucis 2397 Iesu Christi.

Primus fructus dicitur fortitudo; unde Dan. ait: *Et fortis erat arbor.* In cruce enim Christus affixus fortitudinem suam non manifeste ostendit, sed sapientissime occultavit; unde nec in passione sua miracula fecit, non ideo quia non potuit, quam semper omnipotens esset; sed quia noluit; unde sicut dicitur in cantico Habacuc III: *Ibi abscondita est fortitudo eius;* non quidem perdita, sicut dictum est. Et licet fortitudo Christi non appareret patenter tunc; tamen fortitudinem suam per erucem mirifice monstravit; unde Propheta inquit, *ibi*, scilicet, in cruce, ubi *abscondita est fortitudo, confregit potentias, arcum, scutum, diadema et bellum.* In quibus mirandis verbis ostendit Propheta quod Christus quatuor cum virtutibus

ostensa in cruce de quatuor nobis contrariis triumphavit: unde Bernard. super Cant. serm. 65, dicit, quod Christus in Passione patientiam exhibet, humilitatem commendat, obedientiam adimplet, charitatem perficit. His virtutum generibus quatuor cornua crucis ornantur; et est supereminens pars charitas, a dextris obedientia, a sinistris patientia, in profundo vero crucis est radix omnium virtutum, scilicet, humilitas. His quatuor virtutibus confregit et vicit Christus quatuor potentias quae nobis valde adversabantur, scilicet, diabolum, peccatum, Paradisum, et infernum. Primo enim cum dextro cornu crucis per obedientiam confregit potentiam diaboli: secundo cum sinistro cornu per potentiam confregit peccatum; tertio cum sublimi crucis cornu per charitatem, scilicet, nobis aperuit Paradisum: quarto per infimum cornu, scilicet, per humilitatem confregit potentiam erebi seu inferni; et sic quatuor victorias in cruce, et cum cruce adeptus est Christus per quatuor suas virtutes.

2399 Primo cum dextro crucis cornu per obedientiam confregit potentiam diaboli, quae in arcu a Palmista figuratur, quem ait: *Ibi confregit potentias, arcum.* Arcus enim crux Christi est ad mortem Christi a diabolo multipliciter tensus; cuius sagittae fuerunt omnes Christo inflictiae contumeliae, derisiones, blasphemiae, flagella, illusiones, et poenae: quae omnia Christus confregit, quando pro primis obedientia patienter omnia toleravit; unde Propheta ait, *Psal. xxxvi: Arcus eorum confringatur;* et ad Rom. v. Apostolus in fine ait: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obedientiam iusti constituentur multi;* et Prov. xxxi in fine Salomon ait: *Vir obediens loquatur victorias;* unde Apostolus ait ad Philipp. II quod Iesus *humilitatem semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis;* ut quemadmodum homo a diabolo per inobedientiam deceptus, et devictus est; ita homo, Christus, scilicet, per obedientiam diabolum superavit; et sicut homo Adam peccando meruit mortem, ita homo Christus moriendo destrueret mortem. Dicamus ergo cum Apost. I Cor. xv: *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum qui mortuus est pro nobis.*

2400 Insuper peccatorum nostrorum chirographum, quo sathanas gloriabatur iuridice possidere, fuit in Christi sacratissima carne totali laceratione convulsus. Ut quia innocenti carni clavis durissimis voluit satelles impius scribere poenam mortis, ipso divinitatis aequo sub carne latente et ipse confingeretur hostis, et extraheretur de impissimis manibus eius, quilibet Christi fidelis ab

omni expurgatus reatu. Unde Apost. ad Coloss. II, ait: *Delens quod adversum nos erat chi. ographum decreti, id est, manus inscriptionem seu cautionem, quod erat contrarium nobis; ipsum tunc de medio offigens illud cruci, expolius principatus, et potestatis, tradidit confidenter, palmam triumphans illos in semetipso.* Secundum enim Glossam, et Alex. de Ales. decretum dicitur divinum praeceptum, quod datum fuit Adae, Genes. II: *De ligno scientiae boni et mali ne comedas;* huius praecepti violati chirographum, id est, memoriam, et inscriptionem delevit Christus, quando peccatum primi parentis per Christi Sanguinem abolevit.

Secundo cum sinistro crucis cornu per patientiam confregit peccatum illud, quod pro nobis in cruce affigens factus pro nobis ille magnus peccator, de quo Luc. v. dicitur: *Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.* In cuius quidem villorum signum suggerente illa impla notatione illam de cruce descendere ad dicente, *Math. xxvii: Si Filius Dei es, descende de cruce;* descendere noluit, sed perseverans in ea, de peccato nostro moriens triumphavit. Si enim descendisset de cruce, videretur a peccato devictus impatiencia poenae; et tunc quidem confregit scutum, per quod peccatum significatur. Omnis enim mortalis culpa scutum quoddam est diaboli, ne de mentibus hominum expellatur, et his scutis protegebatur diabolus ante Christi adventum, ne de mundo per sanctos Prophetas eieceretur; unde Iob XI de diaboli thorace dicitur: *Corpus eius, id est, omnis multitudine reproborum, quasi scuta fusilia, compactum squamis, sese prementibus, una alteri iungitur; ut nec spiraculum incidere per eas possit, una alteri adhaerebit, et tenentes se nequaquam separabuntur.* In quibus verbis mystice demonstratur robur, et fortitudo crucis, et fortitudo peccati; unde diabolus antiquus regnabat in mundo, quae causa brevittatis distinguere praetermittit. Hoc siquidem scutum Christianus in cruce confregit per passionem, et mortem; unde alibi Propheta ait, *Psal. xli.v: Arcum conteret, et confringet arma; et scuta, id est, peccata comburent igni, pro igne, more Graecorum, hoc est cum sua Passione sanctissima fervida, et ignita.*

2402 Ideo dicere possumus quod septem scuta, id est, septem peccata mortalia hoc igne combussit. Primo superbius capitis inclinatione, per quam videbatur titulum crucis fugere in quo scriptum erat: *Rex Iudaeorum,* secundo invidiam brachiorum extensione, quasi, scilicet, ad amplexum; tertio avaritiam multorum erogatione, quae in passione largitus erat; unde Bernard. ait: *Disce Christiane, quantum debes Deum diligere qui*

dedit nobis carnem suam in cibum, sanguinem suum in potum, animam suam in praetium, aquam lateris in lavacrum, vestem crucifixoribus, corpus discipulis, et Matrem Ioanni; quarto acediam ad passionem festinatione; quinto iram molli responsione; sexto gulam acceti, et fellis potatione; septimo luxuriam lateris vulneratione.

2403 Tertio cum sublimi cornu crucis per charitatem devicit, et aperuit Paradisum per gladium mystice denotatum. Ad cuius intelligentiam advertendum est quod sicut patet Gen. iii, iubente Deo, Adam expulso de Paradiso, Paradisi aditus est per tria conclusus. Primo per Cherubin, quem statuit Dominus ad ianuam Paradisi; secundo per flammatum gladium; tertio per gladium versatilem.

2404 Quod enim per terrestrem illum Paradisum coelum empiryem significatur, in illud quidem ne quisquam hominum ingrederetur, obstabant tria. Primum ex parte scientiae; secundum ex parte voluntatis; tertium ex parte facultatis; quia ad ingrediendum illud non sufficebat humana intelligentia, neque voluntas, neque etiam facultas.

Primum ex parte intelligentiae; quia ante Domini Passionem nesciebat homo aditum Paradisi; propterea Cherubin qui plenitudo scientiae Dei interpretatur, aditum Paradisi praepediebat, scilicet, dividendo intellectum ab intelligentia. Secundum ex parte voluntatis; quia sufficienti charitate non ardebat; hic est autem flammatus gladius dividens a charitate voluntatem. Tertium est ex parte facultatis; quia, scilicet, ad coelum efficaciter conscendere non valebat; et hic est gladius versatilis, dividens efficaciam a facultate. Christus ergo per crucis trophaeum, gladium amovit, et Paradisi aditum reservavit, atque terra haereditatis nostrae per peccatum tam originale, quam actuale, lute belli atque triumphalis amoris crucis nobis captivis reddita est.

2405 In horum itaque signum, et mysterium ad Paradisum terrestrem Sanctos de inferno deductos iam divina visione beatos in resurrectionis die Christus creditur deduxisse. Proinde Apocal. iv Ioannes ait: *Ostium apertum est in caelo*. His etiam concordat Alex. de Ales, in 4. De hoc Apotelesus ad Hebr. ix: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, sequitur, per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa*.

2406 Et hoc Num. xxxv designatur; ubi dicitur, quod homicida manebit tibi, scilicet, in civitate refugii, donec Sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur; quo mortuo, poterit in domum suam redire, ut mystice iusinetur, quod Christi Passio illuminat intellectum ut fidem noscat, et inflamat affectum ut fervide velit, ro-

borat facultatem ut efficaciter possit violenter rapere coelum. Proinde Matth. xi, Dominus ait: *A diebus Ioannis Baptistae, in quo tempore regnare coepit Passio Christi, regnum caelorum vobis patitur, et violenti rapiunt illud*.

2407 Quarto cum profundo crucis cornu per humilitatem confregit potentiam inferni, hoc est, mortem aeternalem, quod per bellum significatur; quia semper contra genus humanum pugnat. De quo bello, Luc. xi, Dominus ait: *Quum fortis armatus, id est, sathanas, custodit atrium suum, id est, infernum, in pace sunt omnia, quae possidet, id est, inferni spolia, quae ante passionem adeptus erat. Quum autem fortior illo, scilicet Christus, supervenerit vicerit eum, scilicet, per crucem suam, universa arma eius auferet, id est, reatum originalis culpae, et clausionem coelestis patriae, in quibus diabolus confidebat, scilicet, detinere illos ne viderent gloriam summi Dei, et spolia distribuat, quia Sanctos de Lybno Christus per crucis vexillum educens, illos secundum varia eorum merita praemiavit et glorificavit.*

In Christi ergo superadventu, seu descensu ad tartarea regna, Sancti admirando iubilo contra daemones insultantes clamaverunt, dicentes, Psal. xxiii: *Attollite portas Principes vestras, et elevamine portus aeternales, et introibit Rex gloriae*. Quibus timore contractus Lucifer, potuit respondere: *Quis est iste Rex gloriae?* responderunt: *Dominus virtutum ipse est Rex gloriae*. Christus per crucis vexillum potenti ingressu de inferno triumphans contrivit portas aereas, et vectes ferreos confregit; ac verificatum est quod dicit Dominus, Oseea xiii: *O mors, ero mors tua, scilicet, per crucem, et mortem meam: morsus tuus ero infernae*; fecit enim Christus sicut mordens pomum partim putridum et partim sanum; qui mordet illud in saniori loco, iuxta illud Apost. ad Ephes. ii: *Per crucem interficiens inimicitiam in saeculo*.

2409 Sed quomodo destruxit mortem ergo temporalem, vel aeternam? non temporalem, quia mortem sicut prius; non aeternalem, quia praescit ad mortem ita damnantur, sicut antea factum est. Dicendum est secundum Alexandrum de Ales in 3 quod Christus destruxit mortem per causam; mors enim eius est causa meritoria destructionis futurae mortis in gloriosa resurrectione. Mortem quoque aeternam destruxit in suis, quia fecit ut eam non incurrerent; sed dominium temporis mortis destruxit in pluribus. Ita enim dominabatur mors prius, quod mortis timore multi abibant; sed post factum est ut non timeretur, sed graviter curreretur ad mortem, quod in Martyribus clarescere potest.

FERIA TERTIA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.
Ioann. VII, 1-13.

In illo tempore: Ambulabat Iesus in Gallilaeam, non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerent eum Iudaei interficere.

2. Erat autem in proximo dies festus Iudaeorum, Scenopegia.

3. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, et vade in Iudaeam, ut et discipuli tui videant opera tua, quae facis.

4. Nemo quippe in occulto quid facit, et quaerit ipse in palam esse: si haec facis, manifesta te ipsum mudo.

5. Neque enim fratres eius credebant in eum.

6. Dicit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum adventi: tempus autem vestrum semper est paratum.

7. Non potest mundus odisse vos: me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt.

8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est.

9. Haec cum dixisset, ipse mansit in Gallilaea.

10. Ubi autem ascenderunt fratres eius, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.

11. Iudaei ergo quaerebant eum in die festo, et dicebant: Ubi est ille?

12. Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas.

13. Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Iudaeorum.

Homilia S. Augustini Episcopi.

IN EVANG. IOANN. TRACT. 28.

2410 **I**n isto Evangelii capitulo, fratres, Dominus noster Iesus Christus secundum hominem se plurimum commendavit fidei nostrae. Etenim semper hoc agit dictis et factis suis, ut Deus credatur et homo: Deus qui nos fecit, homo qui nos quaesivit; Deus cum Patre semper, homo nobiscum ex tempore. Non enim quaereret quem fecerat, nisi fieret ipse quod fecerat. Verum hoc memento et de cordibus vestris nolite dimittere, sic esse Christum hominem factum, ut non destiterit Deus esse. Manens Deus accepit hominem, qui fecit hominem. Quando ergo latuit ut homo non potentiam perdidisse putandus est, sed exemplum infirmitati praebuisse. Ille

enim quando voluit detentus est, quando voluit occisus est. Sed quoniam futura erant membra eius, id est, fideles eius, qui non habent illam potestatem, quam habebat ipse Deus noster: quod latebat, quod se tamquam ne occideretur occultabat, hoc indicabat factura esse membra sua, in quibus utique membris suis ipse erat. Non enim Christus in capite et non in corpore, sed Christus totus in capite et in corpore. Quod ergo membra eius, ipse: quod autem ipse, non continuo membra eius. Nam si non ipse essent membra eius, non diceret: *Saule, quid me persequeris?* (Act. ix, 4). Non enim Saulus ipsum, sed membra eius, id est, fideles eius in terra persequeretur. Noluit tamen dicere sanctos meos, servos meos; postremo honorabilis, fratres meos: sed, *Me*, hoc est membra mea, quibus ego sum caput.

2411 His praedictis puto nos in hoc capitulo, quod modo lectum est, non esse laboraturos: saepe enim significatum est in capite, quod futurum erat in corpore. *Post haec, inquit, ambulabat Iesus in Gallilaeam: non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere*. Hoc est quod dixi, infirmitati nostrae praeebat exemplum. Non ipse perdidit potestatem, sed nostram consolabatur fragilitatem. Futurum enim erat, ut dixi, ut aliquis fidelis eius absconderet se, ne a persecutoribus inveniretur: et ne illi pro crimine obiiceretur latibulum, praecessit in capite quod in membro confirmaretur. Sic enim dictum est: *Noluit ambulare in Iudaeam, quia quaerebant eum Iudaei occidere*: quasi non posset Christus et ambulare inter Iudaeos, et non occidi a Iudaeis. Hanc enim potentiam quando voluit demonstravit: nam cum eum iam passurum tenere vellent, ait illis: *Quem quaeritis?* Responderunt: *Iesum*. Et ille: *Ego*

sum: non se occultans, sed manifestans. Ad eam tamen manifestationem illi non substiterunt, sed redeuntes retro ceciderunt (IOANN. XVIII, 4-6). Et tamen quia pati venerat, surrexerunt, tenuerunt, ad iudicem adduxerunt et occiderunt. Sed quid fecerunt? Quod ait quaedam Scriptura: *Terra tradita est in manus impij* (IOB. IX, 24); caro data est in potestatem Iudaeis. Et hoc propterea, ut quasi sacculus conscinderetur, unde nostrum pretium manaret.

²⁴¹² *Erat autem in proximo dies festus Iudaeorum Scenopogia* (IOANN. VII, 2). Quid sit Scenopogia, Scripturas qui legerunt, noverunt. Faciebant die festo tabernacula ad similitudinem tabernaculorum, in quibus habitaverant cum ex Aegypto educti peregrinarentur in eremo. Iste erat dies festus, magna solemnitas. Celebrabant hoc Iudaei, velut reminiscentes beneficia Domini, qui occisuri erant Dominum. Hoc ergo die festo (quia plures erant dies festi; sic enim appellabatur apud Iudaeos dies festus, ut non esset dies unus, sed plures) locuti sunt fratres eius ad Dominum Christum. Fratres eius sic accipite, sicut nostis: non enim novum est quod auditis. Consanguinei virginis Mariae, fratres Domini dicebantur. Erat enim consuetudinis Scripturarum, appellare fratres quoslibet consanguineos et cognationis propinquos, et extra usum nostrum, non quo more nos loquimur. Nam quis dicat fratres avunculum et filium sororis? Scriptura tamen etiam huiusmodi cognationes fratres appellat. Nam Abraham et Lot fratres sunt dicti, cum esset Abraham patruus Lot (GEN. XI, 27, 31; XIII, 8 et XIV, 14); et Laban et Iacob fratres sunt dicti, cum esset Laban avunculus Iacob (IBID. XXVIII, 2; XIX, 10, 15). Cum ergo auditis fratres Domini, Mariae cogitate consanguinitatem, non iterum parientis

ullam propaginem. Sicut enim in sepulcro, ubi positum est corpus Domini, nec antea nec postea mortuus iacuit: sic uterus Mariae nec antea nec postea quidquam mortale concepit.

Diximus, fratres, qui fuerint: audiamus quid dixerint: *Transi hinc, et vade in Iudaeam, ut et discipuli tui videant opera tua, quae tu facis* (IOANN. VII, 3). Opera Domini discipulos non latebant, sed istos latebant. Isti enim fratres, id est, consanguinei, Christum consanguineum habere poterunt, credere autem in eum ipsa propinquitate fastidierunt. Dictum est in Evangelio: non enim hoc nos audemus opinari, modo audistis. Addunt et monent: *Nemo enim in occulto quid facit, et quaerit ipse in palam esse, si haec facis, manifesta te ipsum mundo*. Et continuo: *Neque enim fratres eius credebant in eum*. Quare in eum non credebant? Quia humanam gloriam requirebant. Nam et quod cum videntur monere fratres: gloriae ipsius consulunt. Facis mirabilia, innotescere: id est, appare omnibus, ut laudari possis ab omnibus. Loquebatur caro carni: sed caro sine Deo carni cum Deo. Loquebatur enim prudentia carnis Verbo, quod caro factum est et habitavit in nobis (IOANN. I, 14).

Quid ad haec Dominus? *Dicit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum venit, tempus autem vestrum semper est paratum*. Quid est hoc? Nondum venerat tempus Christi? Quare ergo Christus venerat, si tempus eius nondum venerat? Nonne audivimus Apostolum dicentem: *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum?* (GALAT. IV, 4). Si ergo in plenitudine temporis missus est; quando debuit missus est, quando oportuit venit: quid est, *Tempus meum nondum venit?* Intelligite, fratres, quo animo illi loquebantur, qui quasi fratrem suum monere videbantur. Dabant ei consi-

lium consequendae gloriae, veluti seculariter et terreno affectu monentes, ne esset ignobilis et latitaret: quod ergo ait Dominus: *Tempus meum nondum venit*, illis respondit, qui ei consilium de gloria dabant, tempus gloriae meae nondum venit. Videte quam profundum sit: de gloria illi admonebant, sed ille voluit altitudinem humilitate praecedere, et ad ipsam celsitudinem per humilitatem viam sternere. Nam et illi discipuli utique gloriam requirebant, qui volebant sedere unus ad dexteram eius et alter ad sinistram: attendebant quo, et non videbant qua; Dominus eos, ut ordinate venirent ad patriam, revocavit ad viam. Excelsa est enim patria, humilis via. Patria est vita Christi, via est mors Christi; patria est mansio Christi, via est passio Christi. Qui recusat viam, quid quaerit patriam? Denique et illis hoc respondit, quaerentibus altitudinem: *Potestis habere calicem, quem ego bibiturus sum?* (MATTH. XX, 21, 22). Ecce qua venit ad celsitudinem quam desideratis. Calicem quippe commemorabat humilitatis atque passionis.

²⁴¹⁵ Ergo et hic: *Tempus meum nondum venit, tempus autem vestrum*, id est, mundi gloria, *semper est paratum*. Hoc est tempus, de quo in prophetia loquitur Christus, id est, corpus Christi: *Cum accipero tempus, ego iustitias iudicabo* (PS. LXXIV, 3). Modo enim non est tempus iudicandi, sed iniquos tolerandi. Ferat igitur modo corpus Christi et toleret iniquitatem male viventium. Habeat tamen iustitiam modo, antequam habeat iudicium: per iustitiam enim perveniet ad iudicium. Tolerantibus quippe membris iniquitatem saeculi huius, quid Scriptura sancta dicit in Psalmo? *Non repellet Dominus plebem suam* (PSAL. XCII, 14). Laborat quippe plebs eius inter indignos, inter iniquos, inter blasphemantes, in-

ter murmurantes, detrahentes insectantes, et si liceat perimentes. Laborat quidem: *Sed non repellet Dominus plebem suam, et haereditatem suam non derelinquet, quoadusque iustitia convertatur in iudicium*. Quoadusque iustitia, quae modo est in sanctis eius convertatur in iudicium, cum implebitur quod eis dictum est: *Sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel* (MATTH. XIX, 28). Habebat iustitiam Apostolus, sed nondum illud iudicium de quo dicit: *Nescitis quoniam angelos iudicabimus?* (I COR. VI, 3). Sit ergo modo tempus iuste vivendi, postea erit tempus eos, qui male vixerint, iudicandi. *Quoadusque iustitia*, inquit, *convertatur in iudicium*. Hoc erit tempus iudicii, de quo Dominus modo dixit: *Tempus meum nondum venit*. Erit enim tempus gloriae, ut qui venit in humilitate, veniat in altitudine. Qui venit iudicandus, veniet iudicaturus: qui venit occidi a mortuis, veniet iudicare de vivis et mortuis. *Deus*, inquit *Psalmus, manifestus venit, inquit Dominus et non silebit* (PSAL. XLIX, 3). Quid est, *manifestus venit?* quia venit occultus. Tunc non silebit: nam quando venit occultus, sicut ovis ad immolandum ductus est, et sicut agnus coram tondeute se non aperuit os suum (IS. LIII, 7). Veniet et non silebit. *Tacui*, inquit, *numquid semper tacebo?* (IS. XLII, 14, iuxta LXX).

Modo autem quid necessarium est eis, qui habent iustitiam? Quod in illo ipso psalmo legitur: *Quoadusque iustitia convertatur in iudicium, et qui habent eam, omnes recti corde* (PSAL. XCII, 15). Quaeritis fortasse qui sunt recti corde? Illos invenimus in Scriptura rectos corde, qui mala saeculi tolerant, et non accusant Deum. Videte, fratres, rara avis est ista quam loquor. Nescio quo enim modo quando evenit homini aliquid mali, Deum currit accusare, qui deberet se. Quando

boni aliquid agis, te laudas; quando mali aliquid pateris, Deum accusas. Hoc est ergo cor tortum, non rectum. Ab ista distortionem et pravitate si corrigaris, convertetur in contrarium quod faciebas. Antea enim quid faciebas? Laudabas te in bonis Dei, accusabas Deum in malis tuis; converso corde et directo, laudabis Deum in bonis suis, accusabis te in malis tuis. Isti sunt recti corde. Denique ille nondum recto corde, cui displicebat felicitas malorum et labor bonorum, ait correctus: *Quam bonus Deus Israel rectis corde! Mei autem, quando non eram recto corde, pene commoti sunt pedes, paulo minus effusi sunt gressus mei. Quare? Quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum intuens* (PSAL. LXXII, 1-3). Vidi, inquit, malos felices, et displicuit mihi Deus: hoc enim volebam, ut non permitteret Deus malos esse felices. Intelligat homo: numquam hoc permittit Deus: sed ideo malus felix putatur, quia quid sit felicitas ignoratur. Simus ergo recti corde: tempus gloriae nostrae nondum venit. Dicatur amatoribus huius saeculi, quales erant fratres Domini: *Tempus vestrum semper est paratum*: tempus nostrum nondum venit. Audeamus enim hoc dicere et nos. Et quoniam corpus Domini nostri Iesu Christi sumus, quoniam membra eius sumus, quoniam caput nostrum gratanter agnoscimus, dicamus prorsus: quoniam propter nos et ipse hoc dignatus est dicere. Quando nobis insultant amatores huius saeculi, dicamus eis: *Tempus vestrum semper est paratum*: tempus nostrum nondum venit. Nobis enim dixit Apostolus: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Quando veniet tempus nostrum? Cum *Christus*, inquit, *apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (COLOSS. III, 3).

2417 Quid deinde addit? *Non potest mundus*

odisse vos (IOANN. VII, 7). Quid est hoc nisi, Non potest mundus odisse amatores suos falsos testes? Bona enim dicitis, quae mala sunt, et mala quae bona sunt. *Me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc*. Quid est *hunc*? Ubi gloriam humanam quaeritis. Quid est *hunc*? Ubi extendere vultis carnalia gaudia, non aeterna cogitare. *Ego non ascendo ad diem festum hunc, quia meum tempus nondum impletum est*. In die festo hoc gloriam vos humanam quaeritis: meum vero tempus, id est, gloriae meae, nondum venit. Ipse erit dies festus meus, non diebus istis praecurrens et transiens, sed permanens in aeternum; ipsa erit festivitas, gaudium sine fine, aeternitas sine labe, serenitas sine nube. *Haec cum dixisset, ipse mansit in Galilaea. Ut autem ascenderunt fratres eius, tunc et ipse ascendit ad diem festum; non manifeste, sed quasi in occulto*. Ideo *non ad diem festum hunc*, quia non gloriari temporaliter, sed aliquid docere salubriter, corrigere homines, de die festo aeterno admonere, amorem ab hoc saeculo avertere et in Deum convertere cupiebat. Quid est autem, *quasi latenter ascendit ad diem festum*? Non vacat et hoc Domini. Videtur mihi, fratres, etiam hinc, quod quasi latenter ascendit, aliquid significare voluisse: nam consequentia docebunt, sic cum ascendisse mediato die festo, id est, mediatis illis diebus, ut etiam palam doceret. Sed *quasi latenter* dixit, ne se ostenderet hominibus. Non vacat quod latenter ascendit. Christus ad diem festum, quia ipse latebat in illo die festo. Adhuc etiam ego quod dixi in latibulo est. Manifestetur ergo, tollatur velum, et appareat quod erat secretum.

Omnia quae dicta sunt antiquo populo Israel in multiplici Scriptura sanctae

Legis, quae agerent, sive in sacrificiis, sive in sacerdotiis, sive in diebus festis, et omnino in quibuslibet rebus, quibus Deum colebant, quaecumque illis dicta et praecepta sunt, umbrae fuerunt futurorum. Quorum futurorum? quae implentur in Christo. Unde dicit Apostolus: *Quotquot enim promissiones Dei, in illo etiam* (II COR. I, 20): id est, in illo impletae sunt. Deinde dicit alio loco: *Omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem propter nos, in quos finis saeculorum obvenit* (I COR. X, 11). Dixit et alibi: *Finis enim legis Christus est* (ROM. X, 4). Item alio loco: *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomentiae, aut sabbatorum, quod est umbra futurorum* (COLOSS. II, 16, 17). Si ergo omnia illa umbrae fuerunt futurorum, et Scenopegia umbra erat futurorum. Hic ergo dies festus quaeramus cuius futuri umbra erat. Exposui quid erat Scenopegia: celebratio erat tabernaculorum, propterea quia populus de Aegypto liberatus tendens per desertum ad terram promissionis, in tabernaculis habitavit. Quid sit animadvertamus, et nos erimus; nos, inquam qui membra Christi sumus, si sumus: illo autem dignante sumus, non nobis promerentibus. Attendamus ergo nos, fratres: educti sumus de Aegypto, ubi diabolo tanquam Pharaoni serviebamus, ubi lutea opera in terrenis desideriis agebamus, et in eis multum laborabamus. Etenim nobis Christus quasi lateres facientibus clamavit: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis* (MATTH. XI, 28). Hinc educti per baptismum tanquam per mare rubrum, ideo rubrum, quia Christi sanguine consecratum, mortuis omnibus inimicis nostris, qui nos insectabantur, id est, deletis omnibus peccatis nostris, transiecti sumus. Modo ergo antequam ad patriam promissionis,

id est, aeternum regnum veniamus, in deserto in tabernaculis sumus. Qui ista agnoscunt, in tabernaculis sunt: futurum enim erat, ut quidam hoc agnoscerent. Ille enim est in tabernaculis, qui se esse in mundo intelligit peregrinum. Ille se intelligit peregrinantem, qui se videt patriae suspirantem. Cum autem corpus Christi est in tabernaculis, Christus est in tabernaculis. Sed tunc non evidenter, sed latenter. Adhuc enim umbra lucem obscurabat: veniente luce, umbra remota est. Christus erat in occulto, in Scenopegia Christus erat, sed latens Christus. Modo iam cum manifestata sunt ista, agnoscimus nos iter agere in eremo: si enim agnoscamus, in eremo sumus. Quid est in eremo? in deserto. Quare in deserto? quia in isto mundo, ubi sicutur in via iniquosa. Sed vitiamus, ubi satremur. *Beati, enim qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (MATTH. V, 6). Et sitis nostra de petra impletur in eremo: *Petra enim erat Christus* (I COR. X, 4), et virga percussa est, ut aqua manaret. Ut autem manaret, bis percussa est (NUM. XX, 11): quia duo ligna sunt crucis. Omnia ergo haec quae fiebant in figura, manifestantur in nobis. Et non vacat quod de Domino dictum est: *Ascendit ad diem festum, non manifeste, sed tanquam in occulto*. Figuratum enim erat ipsum in occulto, quia in ipso die festo Christus latebat: quia ipse dies festus Christi membra peregrinatura significabat.

2419 *Iudaei ergo querebant eum in die festo* (IOANN. VII, 11), antequam ascenderet. Priores enim fratres ascenderunt, et non tunc ascendit ille, quando illi putabant et volebant: ut etiam hoc impleretur quod ait: *Non ad hunc, id est, ad quem vos vultis, primum vel secundum diem*. Ascendit autem postea, ut Evangelium

loquitur, *mediato die festo*, id est, cum iam illius die festi tot dies praeterissent quot remansissent. Ipsam enim festivitatem, quantum intelligendum est, diebus pluribus celebrabant.

2420 *Dicebant ergo: Ubi est ille? Et murmur multum de eo erat in turba* (IOANN. VII, 11, 12). Unde murmur? de contentione. Quae fuit contentio? *Quidam enim dicebant quia bonus est; alii autem, Non, sed seducit turbas*. De omnibus servis eius intelligendum: hoc dicitur modo. Quicumque enim eminuerit in aliqua gratia spiritali, profecto alii dicunt: Bonus est; alii, non, sed seducit turbas. Unde hoc? *Quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo* (Coloss. III, 3). Ideo licet dicere hominibus per hyemem, Mortua est ista arbor, verbi gratia, arbor fic, arbor pyri et huiusmodi pomorum, similis est aridae; et quamdiu hyems est, non apparet. Aestas probat, iudicium probat. Aestas nostra, revelatio Christi est: *Deus manifestus veniet, Deus noster et non silebit, ignis ante eum praeribit* (PSAL. XLIX, 3); *iste ignis inflammat inimicos eius* (PSAL. xcvi, 3); aridae arbores ignis comprehendet. Tunc enim aridae apparebunt, quando eis dicitur: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare; in alia vero parte, hoc est in dextera, apparebit fecunditas fructuum dignitatesque foliorum: viriditas, aeternitas erit. Illis ergo tamquam aridis dicitur: Ite in ignem aeternum* (MATH. XXV, 41, 42). *Ecce enim, inquit, securus ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur* (Ibid. III, 10). Dicant ergo de te, si proficis in Christo; dicant homines: *Seducit turbas*. De ipso, de toto corpore Christi hoc dicitur. Cogita corpus Christi adhuc in mundo, cogita corpus Christi adhuc in area, vide quemadmodum blasphemetur a palea. Simul quidem tri-

turantur, sed paleae conteruntur, frumenta purgantur. Quod dictum est ergo de Domino, valet ad consolationem de quocumque hoc dictum fuerit christiano.

Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudaeorum (IOANN. VII, 14). Sed qui non loquebatur de illo propter metum Iudaeorum? Utique qui dicebant, *Bonus est*; non qui dicebant, *Seducit turbas*. Qui dicebant, *Seducit turbas*, sonitus eorum audiebatur tamquam aridorum foliorum. *Seducit turbas*, clarius sonabant; *Bonus est*, pressius susurrabant. Modo autem, fratres, quamvis nondum venerit illa gloria Christi, quae nos aeternis factura est; modo tamen ita crescit Ecclesia eius, ita eam dignatus est per cuncta diffundere, ut iam susurretur, *Seducit turbas*; et clarius personet, *Bonus est*.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENESI, VOL. II, SERM. 56).

2422 Secundus fructus dicitur rectitudo ad coelum, videlicet, recte perducens. Crux enim Christi scala utique exaltans humiles in sublimi regno coelorum. Ideo Dan. ait: *Et proceritas eius contingens coelum*. Unde merito per scalam Iacob Gen. xxviii signatur ubi scriptum est: *Vidi scalam in somno stantem super terram, et cacumen eius tangens coelum: Angelos quoque Dei descendentes, et ascendentes per eam, et Dominum innotuam scalam*. Quid igitur per scalam, ubi multi gradus sunt, nisi mysterium crucis multis divinae sapientiae gradibus distinctum intelligitur? Per hanc quidem scalam quatuor beneficia adepti sumus. Primum est Christi meriti acquisitio; secundum gratiae infusio; tertium nostri meriti praesentatio; quartum in coelum introductio.

2423 Primum beneficium crucis est a Christo meriti acquisitio; ideo dicitur quod Dominus erat innoxius scalam, eo quod non solum Christus in ea moriendo pependit, verum etiam quia ab aeterno Deus per meritum crucis mundum sibi reconciliare disposuit; unde Prov. viii, Salomon in persona crucis ait: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, ab aeterno ordinata sum, et ex antequam terra ferret*. Proinde Bernard. in

serm. quodam ait: O bone Iesu, quid tibi, et morti? nos debuius, et tu solvis; nos peccavimus, et tu luis; opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo.

2424 Secundum beneficium crucis est gratiae donatio, seu infusio; nam omnis gratia nobis a Deo data, et danda pro merito crucis Christi donatur nobis, et hoc signatur per Angelos descendentes per hanc scalam. Nam gratiarum, quarum Deus principalis est dator, et Christus (ut sic liceat dicere) generalis mercator, Angelis nobis a Deo transmissi sunt seduli praesentatores, et inspiratores; unde Apost. ait ad Hebr. I: *Omnes sunt administratores spiritus in ministerium missi, propter eos qui haereditatem capiunt salutis; ut ex his discat humana segnitates se in gratis exercere, atque immunem se a peccato praeservare, dum cogitat in merito crucis Christi omnem in se suscepisse gratiam, et se Sanguine Christi a culpa redemptam; sicut ad considerationem tanti beneficii inducit Apostolus I Cor. vi in fine, dicens: *Enipit estis pretio magno; glorificati, et portate Deum in corpore vestro*, ut mystice innuat, quod quia pro nostrarum gratiarum ademptione, et pro humani generis redemptione non sufficere thesaurus totius mundi, exposuit Deus thesaurum totius coeli.*

2425 Tertium beneficium crucis Christi est digna meriti praesentatio. Per virtutem enim crucis omnes gratiae, quas Christus pro nobis, et in nobis meruit, per Angelos sanctos gratiae, et aeterna gloria dignae, et sufficientes Deo repraesentantur; et hi sunt Angeli ascendentes per scalam crucis Christi, ut sufficeret mille, immo infinitis glorificandis mundi; unde Anselmus in libro, cur Deus homo, ait: Putasne tantum bonum, tam amabile, quantum fuit vita Christi, posset sufficere ad solvendum quod debetur pro peccatis totius mundi? immo plus potest in infinitum; ergo et acceptio mortis non minus fuit ad merendum pro nobis, atque merita nostra Deo praesentandum, secundum Alexand. de Ales.

2426 Quartum beneficium crucis est in coelum introductio, quod maius omnibus est, et conclusio finalis omnium praedictorum; ideo dicitur quod scala coelum tangebat. Proinde Apoc. iii, *clavus David* crux sancta denominatur; unde de Christo dicitur ibid.: *Habet clavem David, qui aperit et nemo claudit; claudit et nemo aperit*. David enim manu fortis interpretatur, et notat Christum, qui pro se, et pro subis in omni gratia fortis erat ad declinandum omne malum, et ad faciendum omne bonum; haec clavus est sanctissima crux. Per hanc quidem clavem, id est, per meritum crucis eius electis regnum coelorum Christus aperit, et

nemo claudit; quos vero tamquam merito crucis indignos abicit, eis nemo aditum regni coelorum aperire potest; ideo subditur: *Claudit et nemo aperit*; unde Augustinus ait: Per Redemptoris nostri mortem de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de exilio ad patriam, de loca ad gaudium, de terris ad caeleste regnum vocati sumus.

2427 Hinc Dominus noster Iesus Christus, ut nos elevaret ad caelestia regna se quodammodo posuit in una parte crucis statera, et nos in altera, id est, in virtuosa vita; atque ipse solus tantum ponderavit, id est, per crucis humilitatem tantum descendit, quod omnes electos in coelum levavit. Ideo Ioann. xii, Dominus ait: *Ego si exaltatus fuero a terra, id est, in cruce tamquam bellator fortis, super crucem, tamquam super regalem, et militentem equum ascendens, ac deinde tamquam triumphator quilibet viris omnium hostium meorum sub me crucis pedibus tenens, omnia traham ad meipsum*, id est, omnes electos ex omni parte orbis terrarum, et ex omni genere hominum congregandos.

2428 Dicit autem *omnia*, et hoc maxime propter tria. Primum, ut innuat, quod reprobi qui non participant meritum Passionis Christi, quasi pro nihilo reputantur, et quasi pro tanto extra omnia sentia sunt; secundo, ut in universitate electorum doceat esse quandam integram totalitatem universi qui per meritum crucis Christi coelum ingredi debent; tertio, ut secundum communem morem loquendi, quo quando triumphantes omnia, quae sunt in regno iam capto, prout volumus sumimus, omnia ad nos trahere dicimus; sic et Christus omnia ad se traxit per triumphum crucis, omnes electos suos; unde ait Chrysost. exponens praedictum verbum Ioannis: Per hoc quod in altum moritur, ascensum nobis parat in coelum; et iterum Ambrosius ait super *Beati immaculati*: Noli amittere beneficium, o homo: propterea Christus dominationi mortis se subdidit, ut te a iugo damnationis crueret; ille suscepit mortis servitutem, ut tibi tribueret vitae libertatem. Porro secundum Alex. de Ales in 3 quodlibet Christi opus, scilicet, tam mentis, quam corporis, ante Passionem illius ab hora suae conceptionis nobis meruit quidem computari. Sed Passio fuit nobis meritoria quoad aeternae vitae, et satisfactoria quoad remissionem poenae; profunde dicitur quidem, quod quodlibet opus tam mentis, quam corporis in omni sua actione et passione, ut puta, quilibet passus, quilibet oculi ictus, quodlibet verbum, quodlibet cogitatio, ac quilibet mentalis actus, et sic de singulis, secundum divinam sapientiam appropriabantur, et applicabantur a

Christo particulariter alicui electorum, ut pro quolibet plene satisfaceret Deo Patri pro peccato, et pro quolibet electo in quolibet actu mereretur gloriam sempiternam; ac per hoc quomodo tot actus meritorios complexisset, quod erat electi, pendens in cruce ait, Ioann. xix: *Consummatum est.*

2439 Tertius fructus latitudo denominatur; dilatatus enim fuit amor Domini nostri Iesu Christi in cruce ara, atque per universum orbem largitua charitate diffusus est; et hoc est, quod subditur in figura: *Aspiratus eius usque ad terminos universae terrae.*

2430 Est autem crux insufflatorium Spiritus sancti ex duobus lignis confectum. In quibus clavis ferrea, et multis percussibus confixa est pellicula innocentissimi agni per quinque loca, id est, per quinqve vulnera, et flagella exsufflans incendium divini amoris per universum orbem terrarum. In cuius mysterium, Ioann. xx, quomodo ostendisset Iesus discipulis suis manus perforatas, et latus, insufflavit, et dixit: *Accipite Spiritum sanctum, ut verifictur quod Luc. xii ante promiserat, dicens: Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat?* Apoc. quoque viii mystice dicitur: *Accipit Angelus thuribulum aureum, et implevit illud de igne altaris, et misit in terram.* Quid per hunc Angelum, nisi Angelum magni consilii Christus, cuius cor propter ardentissimum charitatis amorem thuribulo ignis carbonibus pleno, convenientium comparatur? vel thuribulum, quia habet similitudinem cordis, fuit coetus Apostolorum, de quo pro tempore quo Christus abnegaverunt¹, Propheta in persona Domini, ait, Psal. cxxi: *Factum est cor meum tanquam cera liquecens.*

2431 Altare vero in quatuor cornibus in se distinctum, est sancta crux plena igne suae ardentissimae charitatis; quod volens Dominus figurare, Levit. vi, precepit dicens: *Ignis in altari meo semper ardebit.*

2432 Ex hoc altari crucis, et meritis eius accipit Angelus ignem, et in die Pentecostes implevit thuribulum, id est, Apostolicum coetum, atque misit in terram, quando, in omnem terram exiit sonus coram, et in fines orbis terrae verba coram, scilicet, praedicantium mysterium crucis Christi. Audi unum carbonem thuribuli huius, scilicet, Doctorem gentium, qui I Cor. ii, ait: *Non enim iudicavi me aliquid scire inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum;* atque idem de se,

¹ Abnegaverunt latum sensum hic requirit, et respicit dispersionem, fugam, timorem Apostolorum in Passione Christi.

et aliis Apostolis, I Cor. i, dicit: *Nos praedicimus vobis Christum crucifixum.* Tanta quidem fuit latitudo charitatis Christi, secundum Gregor. in moralibus, ut quomodo posset nobis etiam non moriendo succurrere, voluit tamen hominibus moriendo subvenire; quia videlicet nos minus amasset, nec viam suae dilectionis nobis ostenderet; nisi hoc, quod nobis quaereret, ad tempus ipse sustineret; et iterum Bernard. super Cant. ait: In Passione Domini tria specialiter convenit insueti, opus, et modum, et causam. Nam in opere patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur; patientia singularis, humilitas admirabilis, sed charitas inaequabilis; et iterum ibidem ait: Vide, o anima, quid de Deo tuo sentias; vide quid de Deo tuo praesumas; vide quibus brachiis vicariae charitatis reamandus et amplectendus sis, qui tanti te aestimavit, immo qui tanti te fecit; de latere enim suo te formavit, quando in cruce pro te obdormivit, et ob hoc somnum mortis excepit; propter te a Deo Patre exivit, et Matrem Synagogam reliquit, ut adhaerens ei unus cum eo spiritus efficiaris. Haec ille.

Totus itaque ardor divini amoris humano generi, omnique statui in vita praesenti communicandus in altari crucis, quasi in fornace ardentissimae charitatis locatus est. Proinde Gregorius Nazianzenus ait: Figura crucis a medio contactu in quatuor extrema partita, significat virtutem, et prudentiam eius qui in ea pendit ubique diffusam. Ecce aspectus crucis usque ad terminos universae terrae. Ad hoc quidem mystice designandum, ad quatuor mundi partes in cruce Christus quodammodo conversus est. Primo habuit, seu tenuit faciem ad orientem; secundo pedum plantas ad occidentem; tertio dexteram manum ad meridiem; quarto sinistram manum ad septentrionem.

2434 Primo, inquam, habens faciem ad orientem, inventutem, et adolescentiam vocat, iuxta illud Luc. vii: *Adolescens tibi dico, surge,* scilicet, a vitis ad virtutes. Sequere publicanum Matthiaeum, qui audita Dominica voce illum vocante: *Relictis omnibus, surgens, secutus est eum,* ut dicitur Matth. ix et Marc. ii. Secundo vero plantas pedum ad occidentem, vocat ad mundi contemptum senes, et debiles; in quorum persona Bernard. super Cant. ait: Passio tua, Domine Iesu, ultimum refugium est, et singulare remedium, deficiente sapientia, inusitata non sufficiente, subventibus meritis, illa succurrit; quomodo tamen defecit virtus mea, non conturbabor, non diffido; scio quid faciam: *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo;* unde sen, et infirmo mystice Christus ait, illud Ionae i: *Surge, invoca Deum tuum,* id est, iam attende animae tuae, reliquum

tempus dedica Domino tuo; quia iam transit mundus, et concupiscentia eius (I Ioann. ii). Tertio autem dextera manu versus ad meridiem, vocat omnes in mundialibus prosperantes, unde Ioann. vii, quasi confixus in cruce clamat, dicens: *Sic quis sitit in anima delectari, atque inebriari, veniat ad me, et bibat,* scilicet, amorosum sanguinem meum; quia talibus omnis mundana delectatio amarascit. Nam gustato spiritu, scilicet, crucis Christi, desipit omnis caro, atque evanescunt daemones tentamenta, quod mystice figuratum est Num. xxi, in serpente aeneo qui significat Christum in cruce, in quem aspicientes sanabantur a moribus serpentum ignitorum. Item I Reg. xvi crux in David cythara designatur, qua percussa levius agitabatur Saul a spiritu malo, non quod tanta vis esset in cythara, sed in figura crucis, quae de ligno, et chordarum extensione formata est, per quam vires daemonum effugabatur. Quarto autem sinistra manu ad septentrionem, vocat omnes in adversitatibus laborantes; unde Matth. xi, ait: *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos,* scilicet, dulcedine passionis meae. Est enim adversitas aqua de Marath quam bibere non poterat populus in deserto, quia amara erat (Exon. xv), sed clamante Moysae ad Dominum, ostendit ei Dominus lignum, signans crucem Christi, quod quomodo mississet Moyses in aquis, in dulcedinem versae sunt; quia nulla tam amara adversitas est, sicut superius dictum est, quae (si pie consideretur Passio Iesu Christi) in animo non dulcescat.

2435 In utraque etiam manu potest bene aliud designari; unde Hilar. ait: Duo latrones laevae, atque dextrae affiguntur omnes humani generis diversitates vocari ad Sacramentum Passionis Domini ostendentes. Et iterum Chrysost. ait: In cruce expansis manibus moritur Christus, ut altera manu populum veterem, altera eos, qui ex gentibus sunt, trahat, scilicet, ut non sit qui se abscondat a calore eius.

2436 Vide igitur quomodo sanctissima crux, seu Christus in cruce quadrifaria angulatione sui, quatuor mundi climata comprehendit, ut omnem ad se pertrahat creaturam; ut a quacumque parte mundi procedant, sive ab oriente, sive ab occidente, sive a meridie, vel septentrione, paratus est recipere venientes, et blanda dulcedine confovere. Proinde Bernard. super Cant. ait: O duri, et indurati, et obdurati filii Adam, quos non emoluit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator qui pro viliibus sarcinulis pretiosas merces expendit.

FERIA QUARTA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.
Ioann. x. 22-38.

In illo tempore: Facta sunt caenacia in Ierosolymis: et hyems erat.
22. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis.

23. Circumdederunt ergo eum Iudaei, et dicebant ei: Quosque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam.

24. Respondit eis Iesus: Loquor vobis, et non creditis. Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me:

25. sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.

26. Oves meae vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et sequuntur me:

27. et ego vitam aeternam do eis: et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.

28. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est: et nemo potest rapere de manu Patris mei.

29. Ego et Pater unum sumus.

30. Sustulerunt ergo lapides Iudaei, ut lapidarent eum.

31. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod corum opus me lapidatis?

32. Respondenter ei Iudaei: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.

33. Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege vestra: quia Ego dixi, dii estis?

34. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura:

35. quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemus: quia dixi, Filius Dei sum?

36. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.

37. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.

Homilia S. Augustini Episcopi.

IN EVANG. IOANN. TRACT. 48.

2437 **D**uo iam commendavi Dilectioni vestrae, stabiliter meminis debetis, sanctum Ioannem evangelistam nolle nos semper lacte nutrir, sed solidum cibo vesci. Quisquis autem ad sumendum solidum cibum verbi Dei adhuc minus idoneus est, lacte fidei nutrir, et verbum quod intelligere non potest, credere non cunctetur. Fides enim meritum est, intellectus praemium. In primo labore intentionis desudat acies mentis nostrae, ut ponat sordiculas ne-